

VII. Rurfus sess. 24. c. 5. De Reform. Causa criminales graviore contra Episcopos, etiam haeresis, quod ablit, quae depositione aut privatione dignae sunt, ab ipso tantum summo Romano Pontifice cognoscantur, & terminentur. Quod si ejusmodi sit causa, quae necessitate extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsus ea committatur, nisi Metropolitanis aut Episcopis, a Beatissimo Papa eligendis. Haec verò commissio & specialis sit, & manu ipsius Sanctiss. Pontificis signata, nec umquam plus tribuat, quam ut solam facti instructionem sumant processumque; conficiant: quem statim ad Romanum Pontificem transmittant; reservatam eidem Sanctissimo sententiâ definitivâ. Cetera aliâ sub sel. rec. Julio III. super his decreta; nec non & constitutio sub Innocentio III. in Concilio generali, quae incipit, Qualiter & quando; quam sancta Synodus in praesenti innovat; ab omnibus observetur. Minores verò criminales causae Episcoporum in Concilio tantum Provinciali cognoscantur, & terminentur, vel à deputandis per Concilium provinciale.

Hoc itaq; Decreto causae criminales contra Episcopum, quae depositione aut privatione dignae sunt, soli Romano Pontifici, saltem quoad sententiâ definitivâ reservantur; adeo ut in his causis Metropolitanii iudices Ordinarii Episcoporum non sint.

VIII. Quando nam haec causae Sedi Apostolicae fuerint reservatae, incertum est; illud satis constat, Episcoporum depositionem uti & translationem inter majores causas jam dudum ante Synodum Tridentinam fuisse computatas; atque ut tales Sedi Apostolicae reservatas; uti supra de translatione Episcoporum ex Innocentio III. ostendimus, III. 15. c. 4. & in causa Haeresis contra Episcopum etiam tempore Bonifacii VIII. reservatam fuisse in tantum, ut Inquisitoris haereticæ pravitatis à Sede Apostolica generaliter deputati, non possent de crimine haeresis contra Episcopos inquirere, aut eo praetextu contra eos agere; nisi in literis commissionis Apostolicae, quod hoc possint contineretur expresse: sed si quos sciverint hoc crimine infectos, aut de illo diffamatos, tenerentur Sedi Apostolicae nuntiare, colligitur ex Cap. 16. De Haereticis in VI.

IX. Ceterum circa haec Concilii Tridentini; observandum; quod cum praevis ante Concilii publicationem Decreta reformationis missa essent ad Concilia Regia, ut super iis iudicium suum deponerent, ad Cap. 8. Sess. 13. specieatim Brabantinos observasse, hac ratione subditos extra patriam fore trahendos, quod directo adversatur indulgentio sumorum Pontificum, Leonis & Clementis, & Constitutionibus suae Majestatis, & Illustrissimorum ejus Praedecessorum, qui non sine gravi ac praegnantia causa id concesserunt. Et ad Cap. 5. Sess. 24. Brabantini, Flandri, aliiq; monuerunt, posse Regem inherere veteri juri & auctoritati suae, ad conservandam securitatem & tranquillitatem Republicae & subditorum.

X. Neq; Belgii Leges ac privilegia, quae in promulgatione Concilii Tridentini salva voluit Rex Catholicus, patiantur, ut subditi praesertim Brabantini, extra Provinciam in jus vocentur, & iudicentur; de quo usu sic loquitur Renatus Choppinus de S. P. lib. 2. tit. 4. n. 8. In Belgicis Hispani Regis ditionibus usu receptum est abs pacto convento inter Regem & Pontificem, ne causae Ecclesiasticae a libi, quae in patriis litigatorum finibus dirimantur.

De hisce Belgii moribus similiter testatur Guicciardinus in generali descriptione Belgii sub finem his verbis: Pontifex nullius omnino praetentionis vel correctionis praetextu quemquam hominem, sive Ecclesiasticus is, sive laicus, evocare potest extra Provinciam. Unde si quid forte occurrat, oportet ut mittat, vel hic deputet commissarios, qui de praetensa causa cognoscant.

XI. Profert quoq; Antonius Anselmo Jurisconsultus Antverpiensis in appendice ad suum Commentarium in Edictum Perpetuum Principum nostrorum Alberti & Isa-

bella declarationem Senatus Brabantiae datam; ad instantiam Procuratoris Regii confirmativam hujus privilegii, atq; annullativam cujusdam praetensa citationis factae de persona Archiepiscopi Mechliniensis, & Episcopi Gandensis ad Curiam Romanam.

XII. Haec quidem quoad causas criminales; quoad civiles autem nihil à Synodo Tridentina immutatum apparet; adeoq; in his iuxta jura communia Episcopi suos respective Metropolitanos tamquam Judices Ordinarios agnoscere tenentur; nisi privilegio exemptionis suffulti, immediatè Sedi Apostolicae sint subiecti.

XIII. Porro in Concordatis in initis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem an. 1541. Tit. 3. art. 7. convenitum est: Abbates, Abbatissae, & alii de Statibus Brabantiae existentes, juri stabunt activè & passivè coram Judicibus illis, coram quibus, de antiqua consuetudine, stare juri consueverunt: scilicet (uti monet Zypaeus in Jure novotit. De Foro competenti n. 1.) coram Duce seu ejus Concilio Brabantiae, qui in hoc Ducatu est supremus Senatus; prout passim praxis induxit, ut Praelati ac Collegia Ecclesiastica coram Principum Conciliis conveniantur & alios eò trahant. Zypaeus loco citato.

XIV. Et tamen ea jurisdicctio Regia non sit privativa & exclusiva jurisdicctiois Ecclesiasticae, quae admodum monet Zypaeus, rarissime tamen videmus Episcopos in Belgio coram alio quam Regis Senatibus in causis civilibus juri stare: adeo ut Metropolitanorum jurisdicctio in his causis respectu Episcoporum Suffraganeorum pene nulla sit.

CAPUT IV.

Quam auctoritatem Metropolitanii hodie habent in Dioecesi suorum Suffraganeorum?

1. Episcopi habent liberam suam Dioecesis administrationem.
2. Metropolitanus nullam habet immediatam jurisdicctionem in subditos suorum Suffraganeorum.
3. Quae ratione Metropolitanus sit iudex totius Provinciae.
4. Metropolitanii auctoritas se non extendit ad Dioeceses Suffraganeorum, nisi in ipsorum defectu.
5. Metropolitanii de jure communi Dioeceses suorum Suffraganeorum visitare possunt.
6. Haec auctoritas per Synodum Trid. restricta.
7. Hodie Metropolitanii non visitant Dioeceses Suffraganeorum & quare?
8. Suffraganei ad Ecclesiam Metropolitanam accedere debent, sed Synodus Trid. necessitate illam limitavit.
9. Quomodo intelligendum Decretum Concilii Trid.
10. Metropolitanii etiam hodie manens Superiores suorum Suffraganeorum.
11. Causa a Suffraganeis per appellationem devolvuntur ad Metropolitanum tamquam Superiorem.
12. Ex sola negligentia Suffraganeorum etiam ad Metropolitanum transeunt.
13. Auctoritatem Metropolitanorum in Dioeceses Suffraganeorum rectè explicat Gratianus.
14. Auctoritatem Metropolitanorum in supplendis defectibus Suffraganeorum agnovit Synodus Tridentina.
15. Super defectu in officio Episcopali Suffraganeos suos monere debent Metropolitanii, eosque corrigere.

**I**n Episcopis singulis suam esse attributam Dioecsim, ut illam pleno jure regant, supra Tit. 15. c. 3. ostendimus: ita ut nullas Praelatus sine ejus consensu actum aliquem vel minimum jurisdicctiois, praecipue in ejus subditos exercere, aut Pontificalibus in ejus Dio-

Dioecesi uti queat. Nam, ut ait Canon IX. Antiochenus, Unumquemq; Episcopum oportet habere suam Dioecesis potestatem, & administrare pro unicuique convenienter religione, & totius regionis curam agere, quae suae urbi subest.

II. Et licet Metropolitanus seu Archiepiscopus aliquam in Suffraganeos jurisdicctionem & superioritatem habeat, nullam tamen immediatam in subditos Suffraganeorum ejusque Dioecem habere, expeditum est.

III. Hinc communiter tradunt Canonistae, quod Metropolitanus quidem sit iudex totius Provinciae tamquam habens jurisdicctionem Archiepiscopalem, non tamen tamquam habens jurisdicctionem Episcopalem seu ordinariam in totam Provinciam, (an singulas ejus Dioeceses, Jurisdicctio vero Archiepiscopalis tantummodo se extendit ad ipsos Suffraganeos Episcopos, nequaquam autem in eorum subditos, nisi mediatae, quatenus nimirum Suffraganeorum negligentia sive defectu esset supplendus, aut eorum procedendi modus corrigendus.

IV. Quapropter Metropolitanorum auctoritas in Dioeceses Suffraganeorum se non extendit, nisi ipsi Episcopi à Sacris Canonibus desistant, aut in eorum executione sint defectuosi: adeo ut de Metropolitanis dici queat, quod de Sede Apostolica dixit S. Gregorius Lib. 7. Epist. 46. ind. 2. Si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis Sedi Apostolicae Episcopus subiectus non sit: cum verò culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis aequales sunt.

Itaq; Metropolitanus nullam quidem ordinariam & Episcopalem auctoritatem habet aut exercere potest in Dioecibus suorum Suffraganeorum; attamen Archiepiscopalem eatenus obtinet, ut in Suffraganeorum defectus inquirere, eosque corrigere ac supplere possit.

V. Hac de causa Metropolitanus jure communi potest per totam Provinciam vel ejus partem visitationis officium exercere, civitates, Dioeceses, Suffraganeos suos eorum subditos, Cathedralium & aliarum Ecclesiarum Capitula & Monasteria, Ecclesias & alia religiosa & pia loca, Cleros & populos liberè visitando, ac procuratio-

nes à locis tantum recipere visitatis. Prout latè describitur Cap. 1. De Censuris in VI.

VI. At Synodus Tridentina etiam in hoc articulo Metropolitanorum auctoritatem non nihil limitavit, decernendo Sess. 24. c. 3. De reform. ut à Metropolitanis, etiam post plenè visitatam propriam Dioecsim, non visitentur Cathedralis Ecclesiae, neq; Dioeceses suorum Comprovincialium, nisi causa cognita & probata in Concilio Provinciali.

VII. Cum verò hodie rarissime habeantur Concilia Provincialia; ac insuper illa ex pluribus Episcopis Comprovincialibus, (qui visitationem suarum Dioecesium à Metropolitanano fieri haud optant) & uno dumtaxat Metropolitanano constent, etiam Metropolitanorum hac visitatio in desuetudinem abiit; nec facile stante hoc Decreto obtinebitur; neq; hodie videmus per Metropolitanos visitationem Provinciae fieri.

VIII. Insuper Metropolitanii tamquam Superiores Suffraganeorum poterant ad se vocare suos Suffraganeos; atq; in multis Ecclesiis consuetudine invaluerat, quod Suffraganei ad suos Metropolitanos statutis temporibus accedere tenerentur: ac hic rursus Synodus Tridentina Episcopice subvenit statuens: Ne Episcopi Comprovinciales praetextu cujuslibet consuetudinis ad Metropolitanam Ecclesiam impoſuerim accedere inviti compellantur. Sess. 24. c. 2. De Reform.

IX. Hic de personali dumtaxat accessu sermonem esse, aliquando censuerat S. Congregatio Concilii Tridentini interpres; at postmodum de eadem re maturius deliberans, censuit, Concilium liberasse suffraganeos etiam ab onere mittendi procuratorem, non obstantè contrariâ consuetudine etiam immemoriali. Ita Fagnanus ad Cap. QUONIAM De constitut. n. 57. qui insuper ad Cap. Si ARCHIEPISCOPUS de temp. ordin. credit, Concilium

non exemisse Episcopos Comprovinciales ab obligatione accedendi ad Ecclesiam Metropolitanam, quae ex jure communi profluit; sed tantum ab ea quae ex particularibus consuetudinibus, quibus Episcopi nimirum gravabantur, proflebat; quas tamquam abusus & corruptelas concilium sustulisse, sacra Congregationem declarasse testatur: adeoq; ex sententia Sacrae Congregationis de subjectione Episcoporum Comprovincialium respectu Metropolitanii Synodus Tridentina hoc suo Decreto nihil detrahit, quod jure communi erat introductum aut probatum.

Si tamen Palavicino Lib. 23. hist. Conc. Trid. c. 10. n. 2. credimus, sententia Patrum fuit, ut Episcopi Suffraganei solverentur ab obligatione accedendi Metropolitanorum Sedes, exceptâ Synodi convocatione.

X. Quidquid sit de hujus Decreti sensu, hoc imprimis constat, eam ad Ecclesiam Metropolitanam accedendi consuetudinem, de qua Synodus, passim in desuetudinem abiisse.

Ad haec certum similiter est, Metropolitanos etiam hodie post Synodum Tridentinam esse Suffraganeorum suorum Superiores; eiq; Suffraganeos esse subiectos nisi probeant se particulari jure aut privilegio esse exemptos.

XI. Hoc ex capite per legitimam appellationem etiam hodie causa totius Provinciae immediatè à suffraganeis aut eorum Officialibus devolvuntur ad Metropolitanum tamquam immediatum Superiorem; de quo jure latius parte 3. titulo De Appellationibus.

XII. Eodem ex capite non tantum per appellationem, sed etiam ex sola negligentia Episcoporum, causa Subditorum totius Provinciae ad Metropolitanum devolvuntur; ut ipse tamquam Superior negligentiam eorum suppleat; juxta illud Hilarii Papae jam pridem ad Africanum Metropolitanum: Tuae sollicitudinis est, Frater carissime, omnia debita tibi auctoritate tueri; & illicitis non modo non praebere assensum, sed etiam cuncta quae contra regulam facta reperis, coercere: scilicet per totam Provinciam, ubi Episcopi muneri suo desissent; de quo aperte ipsa Epistola loquitur, quae extat como 4. Conciliorum generalium col. 1037.

XIII. Auctoritatem hanc Metropolitanorum optimè explicat Gratianus postquam enim aliquot collegit Canones, quibus Metropolitanus monetur, ne se ingerat in regimine Ecclesiarum suorum suffraganeorum, subjungit; Sed aliud est quod ex temeritate assumitur praesumptionis; aliud, quod ex necessitate geritur charitatis. Cum Suffraganei Archiepiscoporum subditis suis ad malum favere coeperint, atq; circa eorum correctiones negligentes extiterint, tunc licet Metropolitanis praeter illorum voluntatem, & ligandos damnare, & reconciliandos absolvere. Cum verò Episcopi zelo divinae charitatis accensi, bono verbo & exemplo aedificent, & malorum vitia aspera increpatione redarguant, absq; talii consilio non licet Metropolitanis in eorum Parochia aliquid agere, vel disponere. Unde in fine capituli Martini Papae non simpliciter dictum est (nihil agat) sed cum determinatione (nihil praesumptivè assumat absque eorum consilio) ut vitium praesumptionis videatur improbatum, non officium charitatis. Sic & Apostolus, quia Corinthios vidit negligentes circa correctionem fornicatoris, suâ auctoritate illum damnavit. Joannes verò, quia Episcopum Ephesiorum vidit paratum ad corrigenda vitia subditorum, sine ejus auctoritate illos corrigere noluit; sed illum tantum de eorum correctione admonuit. Caus. 9. q. 3. in fine.

XIV. Hanc auctoritatem in Metropolitanis agnoscens Synodus Tridentina voluit, ut, si Cathedralium & aliarum majorum Ecclesiarum Praelati in Seminarii correctione, ejusque contributione negligentes fuerint, ac suam portionem solvere detrectaverint, Episcopum Archiepiscopum, Archiepiscopum & Superiores Synodus Provincialis acriter corrigere & ad supradicta cogere debeat. Sess. 23. cap. 18. De reform.



XV. Manent ergo Metropolitanis Suffraganeorum Superioribus, atque per totam Provinciam Metropolitanam auctoritatem retinent, ut Suffraganeorum defectus suppleant, eosque officii sui admoneant, atque etiam ad ea quae sui muneris sunt exequenda cogant. Quare etiamnum hodie si Metropolitanis videant Suffraganeos negligentes in instructione populi, etiam ipsos non tantum monere, sed cogere possunt & debent, juxta illud Concilii Toletani XI. Can. 2. Insistendum ergo semper erit majoribus, ut quos sub regiminis sui cura tuentur, fame Verbi Dei perire non sinant. Sic Metropolitanis in confinuitos caeterisque Ecclesiasticis ordinibus deditos; sic confinuitis in commissio sibi religiosorum numero vigilandum est, qualiter nescientia talium divinae legis traditionibus imbuatur.

CAPUT V.

De Pallio & Cruce Archiepiscopali.

- 1 Inter ornamenta Pontificalia Pallium proprium est Metropolitanis.
- 2 Ejus antiquitas non sufficienter asseritur ex Decreto Donationis Constantini, neque ex libro Pontificali.
- 3 Tempore Gregorii & Justiniani Imperatoris notus usus Pallii.
- 4 Mula circa Pallium apud antiquos obscura.
- 5 Forma Pallii ex Innocentio III.
- 6 Quid huic forma additum.
- 7 Ex qua lana conficiantur Pallia; & quomodo agni ad hoc specialiter offerantur.
- 8 Quomodo Pallia benedicantur.
- 9 Quare dicantur sumpta de corpore Beati Petri.
- 10 A solo Pontifice hodie dantur.
- 11 Quomodo peti debeant?
- 12 Qua forma petentibus dentur.
- 13 Etiam ad absentes mittuntur; & quomodo eis imponantur.
- 14 Qua ratione per Pallium dicatur dari Pontificalis officii plenitudo.
- 15 Qua restrictio quoad loca & tempora in datione Pallii adhibeatur.
- 16 Pallium est vere personale.
- 17 Ademptio Pallii est signum exauctorationis.
- 18 De Cruce Archiepiscopali.

Racet ornamenta Pontificalia omnibus Episcopis communia, est unum admodum famosum ipsis Metropolitanis sive Archiepiscopis proprium; nec ullis Episcopis, saltem in Ecclesia Latina juxta modernam disciplinam commune, nisi speciali privilegio Sedis Apostolicae eis indultum sit; dicitur ornamentum illud apud Latinos *Pallium*; de cujus usu & auctoritate specialis habetur titulus in Decretalibus Gregorii IX. Quando & quomodo usus illius ornamenti incepit, sat obscurum est, sive Graecam sive Latinam Ecclesiam spectemus.

II. Si Decretum illud *Donationis* vulgo Constantini, cujus fragmentum refertur a Gratiano *Dist. 96. Can. 14.* fide certa subsisteret facile probaretur a Constantini dono ornamentum illud initium accepisse; at cum eruditis hodie sufficienter persuasum sit, Decretum illud posteriori aetate fabricatum esse, frustra initia illius ex illo asserere praetenderemus.

Meminit quoque ornamentum hujus liber Pontificalis, qui sub nomine Damasi circumfertur, in quo de *Pallii usu* vivente adhuc Constantino. M. sermo est; ita enim de S. Marco Papa loquitur: "Hic constituit ut Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopos Urbis, tunc *Pallio* uteretur, & ab eodem Urbis Episcopo consecraretur."

Sed quam parva hinc libro fides danda sit pariter eruditus notum; ut proinde nec hujus testimonio certa de vestitate Pallii fides haberi queat.

III. Illud equidem certum, tempore S. Gregorii & Justiniani Imperatoris, tam in Ecclesia Latina quam Graeca usum Pallii fuisse; uti ex illius epistolis (quarum plura fragmenta extant apud Gratianum *Dist. 100.*) atque hujus novellis constitutionibus est manifestum.

IV. A quibus vero antiquitas sive in Ecclesia Latina sive Graeca tradita fuerint; quibus concessa, quae eorum forma, materia & usus, multum obscurum est; eaque pluribus discutit Ludovicus Thomassinus in opere suo de *Disciplina Ecclesiastica*; quem curiosus Lector consulere poterit; nobis sufficere breviter modernam disciplinam proponere.

V. Formam *Pallii* ita describit Innocentius III. *Lib. 1. Myster. Missae c. 63.* "Pallium fit, ait, de candida lana contextum, habetque super circum humeros constitutum, & duas lineas sive fascias ex eodem panno ab utraque parte dependentes; quatuor autem Cruces purpureas, ante & retro, a dextris & sinistris: sed a sinistris Pallium est duplex, simplex a dextris; cui in tres partes conciso tres acus infiguntur (spinas vocat alii) quibus confuitur."

VI. Atque ex his Innocentii verbis habemus (inquit Nicolaus De Bralon Presbyter Oratorii in sua particulari de *Pallio* Dissertatione c. 3. fidelem & exactam formam sacri Pallii delineationem, etiam ut nunc est, hoc excepto, quod habet nunc sex cruces ex serico insertas (additis duabus, paucis, ut opinor, ab hinc annis) quatuor scilicet in circulo, nempe ante & retro, a dextris, & a sinistris; & praeterea unam in medio utriusque lineae; & quod cruces intextas quas dicit esse purpureas, recentiores quidem Canonice scribant esse nigras, & re vera nigrae apparent, non solum in Palliis quibus nunc utuntur Archiepiscopi, sed in illo antiquissimo quo utebatur Stephanus tertius Papa, qui sedebat anno septingentesimo, quinquagesimo, quodque ipse reliquit apud D. Dionysii Basilicam Mausoleis Regum Christianissimorum celebrantur, ubi adhuc ostenditur."

Porro juxta modernum usum, *Pallia* conficiuntur ex lana agnorum prius in Missa solemni in Ecclesia Sanctae Agnetis extra muros Urbis, die ejus cultui dicato, oblatorem.

VII. Quae autem forma hi agni offerantur, & eum in sinem a Pontifice benedicantur, ac postmodum educuntur describit, De Bralon.

Subdiaconi Apostolici seu Ministri Ecclesiastici, Papa, qui quidam quinque numero sunt, procurant ut die Festo Sanctae Agnetis, qui est 21. Januarii, habeantur duo candidissimi agni, qui ponuntur supra equum hinc inde in duobus cistellis, in ejus Ecclesia portandi. Consuetudo autem est, ut conductor primum cum his transeat per plateam Sancti Petri ante Palatium Vaticanum Papae quae est fenestra, manu eos benedicat. De hinc vero per mediam urbem eos deferat ad praefatam Ecclesiam Sanctae Agnetis, in qua ejus sanctum corpus religiose asservatur, & colitur, ubi in Missa solemni, cum perventum est ad *Agnus Dei* offeruntur a Religiosis hujus Ecclesiae, qui nunc sunt Canonici Regulares Congregationis Sancti Salvatoris; deinde traduntur duobus Canonice Basilicae Lateranensis Sancti Joannis, quae est Cathedralis Papae, a quibus eorum cura committitur dictis Subdiaconis Apostolicis, qui primum eos in pascuis quibusdam particularibus ad tempus servant, deinde eorum lanam a certis monialibus in silum duci curant, ex quo filo adhibito tamen alio ex ordinaria lana, cum ista non sufficiat, vel ipsi, vel illae moniales fasciolas, eas lanas intertexendo conficiunt, & ex his *Pallia*, postea benedicenda apud Sanctum Petrum.

Hae Benedictione Palliorum non fit singulis annis, sed rarius prout necessitas mittendorum Palliorum exigit; & fit non in Altari majori Sancti Petri, quod cernitur in medio

medio superioris partis Ecclesiae, sed in alio inferioris partis, quod est sub sito, & ideo sepulturae S. Petri viciniori. Facta demum benedictione, relinquuntur *Pallia* una nocte super altare sepulturae S. Petri; deinde reconduntur in capsula, seu arcula parva, quae ponitur & asservatur supra Cathedram S. Petri in qua primum Romae sedet.

IX. Hic intelligitur, cur dicat Paschalis II. in *Cap. 4.* De electis, scribens Panormitano Archiepiscopo, & loquens de *Pallio*: insignia haec dignitatis a Beati Petri tantum CORPORE assumuntur: quia scilicet, "Pallium benedicatur, & consecratur a Papa super altare Beati Petri, & ibi ponitur (uti notat Glossa) & ille qui debet, uti *Pallio*, recipit ipsum de altari, si est praesens: vel alius pro ipso, si est absens, & sic assumitur de Corpore B. Petri."

X. Quae *Pallium* de Corpore B. Petri assumi debeat, etiam a solo Romano Pontifice dari potest.

Scribit Will. Tyrius *lib. 1. c. 13.* Radulphum Patriarcham Antiochenum, Romanae Ecclesiae subiecte indignantem, quod diceret, utrumque *Petri esse Cathedralis*, suamque quasi primogenitam insignem praerogativam, *Pallium de Altari Antiochena* Ecclesiae sua sibi sumpsisse auctoritate: sed postmodum eo resignato, aliud ei sumptum de Corpore Beati Petri more solemni per priorem Diaconorum traditum. Ita refert Du Cange in Glossario, verbo *Pallium*.

Et quidem ita propria fuit saeculo 13. Pontifici Romano concessio *Pallii*, ut illud Patriarchae Constantinopolitano Innocentius III. dederit; atque insuper potestatem ei fecerit, illud auctoritate Apostolica Metropolitanis sibi subiectis concedendi. Extat charta concessionis in Actis dicti Pontificis editis a Boschetto pag. 102. quod postmodum privilegium datum fuit omnibus quatuor Patriarchis ab eodem Pontifice, & refertur in *Cap. 23. De Privilegiis*.

Postulavit itaque hodie Patriarchae quidem concedere *Pallium* Metropolitanis; modo tamen ipsi prius illud a Pontifice Romano acceperint.

XI. Itaque verum est juxta modernum stylum, illud a solo Romano Pontifice proficisci; illudque peti debet cum *instanter* juxta illud S. Gregorii apud Gratianum *Dist. 100. Can. 2.* "Prisca consuetudo obtinuit, ut honor *Pallii*, nisi exigentibus meritis & fortiter postulantis dari non debeat."

Quapropter Archiepiscopi Romae praesentes per seipsum, vel etiam procuratores absentium petunt a Summo Pontifice in Consistorio suum *Pallium*; idque juxta formam petitionis *instanter, instantius, & instantissime*. Papa autem petitioni annuens committit priori Diacono: eum Cardinalium ut illud det, quod sic sequenti modo.

Statuta die praelatus *Pallium* recepturus, si est praesens, vel ejus procurator in ejus absentia, cum speciali mandato venit ad locum destinationis, qui saepe est Capella palatii ipsius Cardinalis Diaconi; aliquando tamen datur *Pallium* in ipsa Ecclesia principis Apostolorum Sancti Petri, & ad altare majus. Adest ipse Cardinalis cum suis capellanis, ac etiam unus ex Subdiaconis Apostolicis, quibus, ut diximus, cura *Palliorum* committitur, qui *Pallium* extendit in medio Altaris, & praelatus indutus planeta super Rochetum, genuflexus ante Cardinalem, qui stat in cornu dextero Altaris, scilicet a parte in qua legitur Evangelium in Missa, petit sacrum *Pallium* hac formula.

Ego N. Electus Ecclesiae N. instanter, instantius, & instantissime peto mihi tradi & assignari *Pallium* de Corpore Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii.

XII. Quae autem forma tradatur sive praesenti sive procuratori absentis, his verbis describit De Bralon in citata Dissertatione c. 12. "Tum Cardinalis, ait, accipit *Pallium* de altari, & imponit illud super humeros praelati genuflexi dicens.

Ad honorem Omnipotentis Dei, & Beatae Mariae fem-

per Virginis, atque B. Apostolorum Petri & Pauli, nec non Ecclesiae N. tibi commissa, tradimus tibi *Pallium*, de corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii, cum patriarchalis, vel Archiepiscopalis nominis appellatione, ut utaris eo intra Ecclesiam tuam, certis diebus qui exprimentur in privilegio, ab Apostolica Sede concessis."

XIII. Olim quidem non nisi Romae & ad Limina Apostolorum venientibus *Pallium* dari solebat; idque auctoritate pontificum suorum Antecessorum decretum fuisse, ille scribit ad Brunonem Episcopum Veronensem Gregorius VII. "Quam utique dilectionem tuam in his quae a nobis expostulasti, id est in *Pallii* concessione, ad praesens non recompenamus, quia Antecessorum nostrorum decrevit auctoritas, nisi praesenti personae *Pallium* non esse concedendum. Unde si Fraternitas tua Apostolicae Sedis privilegiis munita ad nos venerit, honorem, quem Romani pontifices Antecessoribus tuis contulerunt, nos tibi, Deo concedente, conferemus."

Circa idem tempus Lanfranco electo Archiepiscopo Cantuariensi Hildebrandus Archidiaconus Romanus scripsit, quod ipsi *Pallium* fuisse *Pallium*, si vel uno exemplo ostendi potuisset, quod *absens* *Pallium* missum fuisset. Si *alicui* Archiepiscoporum vestris temporibus hoc concessum fuisse vidissemus. Ep. 6. inter Epistolas Lanfranci

Eandem disciplinam asserit Petrus Damiani *lib. 7. Epist. 4.* ubi tamen admittit, *Pallium* a Romanis Pontificibus ad plurima loca saepe per Nuntios fuisse transmissum; sed respondet; quia tunc temporis Legati Romanae Ecclesiae vice Papae fungebantur, per provincias constituti. Illi igitur eos, qui ad Episcopatus apicem promovebantur, examinabant, sicque *Pallium* ab Apostolica Sede per Nuntios accipiebant. Quod nonnullis ibidem ex S. Gregorio adductis exemplis asserit; ac deinde adducit Decretalem quandam sub nomine Damasi Papae, quae privat Metropolitanos sua dignitate, qui ultra tres menses post ordinationem suam Romano Pontifici fidem suam exponere & *Pallium* flagitare distulerint: quam Decretalem sub nomine Pelagii retulit Gratianus *Dist. 100. Can. 1.* Eam vero nequaquam Damasi esse aut Pelagii; sed unam ex foetidis mercibus Isidori Mercatoris, jam notum Eruditi. Ex hac tam Decretali originem sumpsisse disciplinam non mittendi ad Limina Apostolorum; quare nec in Decretalibus Gregorii IX. ullam reperitur hujus disciplinae vestigium. Hodie per Procuratores peti consuevit, & ad Provincias mittitur; atque alicui Episcopo sive Pontifici illud Metropolitanano imponendi cura mandat. Hic vero ex praescripto Pontificalis Romani statuta die cum Electo convenit in Ecclesia sua, si commodum fieri potest, vel alia Ecclesia suae Diocesis vel Provinciae magis commoda, in qua Missarum Solemnia peraguntur. Et facta communi per celebrantem, *Pallium* reponitur supra medium Altaris extensum, & serico in quo involutum portatum fuit, coopertum; deinde per actus Missarum tolemissis, ac per Electum fidelitatis *Juramento praestito*, (de quo infra) *Pontifex* (sive Episcopus) *surgit cum mitra & Pallium de Altari accipit, & illud super humeros Electi ad-*

*buc ante se genuflexi imponit, dicens.*

Ad honorem omnipotentis Dei, & beatae Mariae semper virginis, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli, Domini nostri N. Papae N. & sanctae Romanae Ecclesiae, nec non Ecclesiae N. tibi commissa, tradimus tibi *Pallium* de corpore beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officii, cum Patriarchalis (vel Archiepiscopalis) nominis appellatione; ut utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimentur in privilegio, ab Apostolica Sede concessis."

Ad honorem omnipotentis Dei, & beatae Mariae semper virginis, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli, Domini nostri N. Papae N. & sanctae Romanae Ecclesiae, nec non Ecclesiae N. tibi commissa, tradimus tibi *Pallium* de corpore beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officii, cum Patriarchalis (vel Archiepiscopalis) nominis appellatione; ut utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimentur in privilegio, ab Apostolica Sede concessis."

Ad honorem omnipotentis Dei, & beatae Mariae semper virginis, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli, Domini nostri N. Papae N. & sanctae Romanae Ecclesiae, nec non Ecclesiae N. tibi commissa, tradimus tibi *Pallium* de corpore beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officii, cum Patriarchalis (vel Archiepiscopalis) nominis appellatione; ut utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimentur in privilegio, ab Apostolica Sede concessis."